5

RESPONSIO LEGATIONIS ELECTORALIS BRANDENBURGICÆ

AD

CHRISTIANISSIMI REGIS PLENIPOTENTIARII MEMORIALIA

IN

IMPERII COMITIIS EXHIBITA.

ANNO M. DC. LXXIII.

Digitized by Google

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORUM PRINCIPUM ET STATUUM EXCELLENTISSIMI, REVERENDISSIMI, ILLUSTRES, GENEROSI, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, SPECTABILES DD. LEGATI CONSILIARII & DEPUTATI &c.

DOMINI HONORATISSIMI.

PRotulit ante hos tres menſes, & quod excurrit, Potentiſſimi Galliarum Regis Plenipotentiarius, Excellentiſs. Dominus ROBERTUS de GRAVELL Scriptum, cui nuper admodum aliud quoque addidit; Utroque Regis ſui, poſtquam Is bellum in Germaniam transtulerat, Pacis tamen in Imperio conſervandæ ſtudium adſerere; Sereniſſimo verò Electori Brandenburgico, Pacis certè cupidiſſimo, & nihil non pro tranquillitate publica agenti, quod bellum in Germania excitare nitatur, imputare non erubuit.

Qui talia legunt, non poſſunt non recordari, quæ M. Tullius de C. Fimbria narrat; Curaverat is in funere C. Marij, ut Q. Scævola, vir Sanctiſſimus vulneraretur; diem tamen Scævolæ dixit, poſtquam comperit, Eum poſſe vivere; Interrogatus: Quid tandem accuſaturus eſſet Virum, qui ſatis laudari non poſſet; reſpondiſſe fertur; quod non totum telum corpore recepiſſet.

Annon eâdem cum Sereniſſimo Electore verecundiâ, eodemque Jure agitur?

Duxit Galliarum Rex maximas Copias in Germaniam,& nihil non hoſtile illic agit: Elector arcendæ injuriæ causâ arma conſiliaque cum aliis jungit; Concitor ergo Belli eſt. Sæviunt Galli in viſcera Imperij: ne jugulum petatur, occurrit Elector; Hæc verò vis eſt, & belli contra Ipſum juſtiſſima cauſa. Laborat Elector pro virili, ne omnes Imperij Provinciæ illis involvantur malis, quibus Weſtphalia, nobiliſſima Ejus Pars tantùm non perijt; & hoc facinus eſt, ab omnibus Imperij Ordinibus vindicandum. Nimirum, quos per Conſcriptos in Gallia,Conquiſitos per Scotiam, Angliam, Helvetiam, opprimere non poſſunt milites, in hos ipſos Imperij Electores, Principes, Ordines omnes, Membra nimirùm in Caput, membra in membra concitant. Per Imperium Imperium evertere nituntur. Ii Salutis publicæ Aſſertores & Libertatis Vindices, illos ipſos, quos perdere cupiunt, armare, ut utriſque ſervitus & exitium tantò certius, tantò facilius procuretur, nituntur.

Sed inquit Excellentiſſimus Dominus Plenipotentiarius, id egiſſe Regem ſuum, ut bello adverſus Hollandos auſpicato, Pacis in Imperio conſervandæ ratio, & juſtiſſimæ Ejus intentiones toti Germaniæ, inprimis verò Sereniſſimo Electori Brandenburgico, ratione locorum in Ducatu Cliveníi tunc ab Hollandis detentorum, perſpecta forent.

Referre, quomodo res compoſita & quomodo acta ſit,eſt refellere, quæ à Dno. Plenipotentiario propoſita ſunt: Narrabimus igitur rei ſeriem bonâ fide, quam ipſi Galli non poterunt non agnoſcere.

Vix exierat in Belgio Hiſpanico Pax, cùm Galliorum Rex contra ejuſdem Pacis pararios, Fœderati Belgij Ordines, bellum moliri cœpit,nec celat inſtitutum Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum, Eumque ad belli ſocietatem invitat. Veniebat non unus Miniſter Gallicus, qui luculentas conditiones, & ſpolia ampla oſtentaret, promitteretque; Veniebant quoque, pudet dicere, ſed veniebant Germaniæ ſive Principes, ſive Principum Miniſtri,Galliæ certè Satellites qui eadem proponerent,ſuaderentq;.

Inci-

Inciderat Elector in graviſſima Imperij Romani tempora; quibus illa tota bello arſit; Terras ſuas, cum gubernacula capeſſeret, in ruinis & cineribus quæſivit, & vix invenit, & tandem, non contemnendâ ipſarum illarum parte, magno equidem impendio Pacem publicam redemit. Implicitus deinde ſocialibus finitimorum Regum bellis in Polonia, Daniâque, quàm non liceat pacato eſſe vicino, bellantibus vicinis, tùm quòque quanta malorum lacuna bellum comitetur, non ex Annibalis viſo, ſed ipsâ Experientiâ jam dudum didicerat. Equidem non poterat Ipſum partæ in bello gloriæ pœnitere; potior Ipſi tamen longè, imò unica tranquillitatis publicæ cura erat; Noverat, non ſtare bella, ubi incipiunt, non hoſtes tantùm, ſed & hoſtium vicinos hoſtilia pati; In Belgio, & propter ipſum jam olim Europam propemodum omnem certaſſe, & nihil proclive magis, ut hoc quòque tempore, & hoc rerum articulo priſtinis involvatur malis. In id igitur totus incumbebat Elector, ut belli cauſas exquireret, rationêmq; iniret, quâ ſublatis iis pax conſervari poſſet. Gallici miniſtri, Regem ſuum injurijs à Belgis affectum cauſantes, quòdque Gloria Regis eidem belli neceſſitatem imponeret, Pacis conſilia vix auribus, nedum animo, admittere, imò indignari ad Pacis mentionem. Monebantur quod nèmine monente intelligebant ipſi, Belgium peti vix poſſe, niſi Provinciæ Imperij multæ, & inter illas & Clivia petatur, & ſic rem, de qua ageretur, non ad Imperium minus, quàm ad Belgium pertinere. Electorem quod ſpectabat, non diſſimulabat, quod jam à multis annis majoribus ſuis ſibique cum Belgio fœdus interceſſerit, quod nec ipſi Galli ignorarent; Arma autem fœderatis inferre, non eſſe Illius, cui Fides cordi eſſet, arma, inquam, quorum cauſa nulla ſibi eſſet, à Gallis verò legitima hucusque non judicaretur.

Galli hic reparationem damnorum, Urbium Electoralium reſtitutionem, ſi quas caperent, offerre; Sed præſtare putabat Elector, integra ſervare ſua, Damna certa, reliqua incerta: Eúmque, qui potentioribus pecuniam credere prohibuerat, nunquam fore autorem, ut Urbes ipſis crederentur: Cum Belgis Urbium ratio-

ne, certa jam dudum eſſe pacta; mutare hic quicquam periculoſum omnino, nec integrum Electori.

Ad Fœdus Belgicum reſpondebant, Id tantùm defenſionis causâ initum; Jam verò Belgas aggreſſores eſſe, qui verò aliter ſentiret, & Regem Ipſis arma inferre diceret, injuriam ipſi facere: quicquid autem ejus ſit, & quodcúnq; tandem ſit fœdus, ſi Belgis ſuppetiæ ferantur eum, qui id tentaverit, hoſtem Regis fore. Nec audiebant, quod Gentibus acceptum obſervatûmque, Bellum videlicet eſſe inter illos, quos inter belli cauſa eſſet, auxilia ex fœdere fidei imputari, non hoſtilitati: id cùm à Gallis negaretur, Eccui non poſſent minæ iſtæ, & declarationes Regiæ (iſto enim nomine propoſitæ ſunt) juſtiſſima induere arma? Sereniſſimo certe Electori neceſſitatem præſidio ſe muniendi, & amicos parandi impoſuerunt inevitabilem: Interea tamen minimè omnium is deſtitit Pacis Conſilia ingerere, atque ad eam procurandam ſtudia offerre tantò diligentiùs, quantò magis illa & ſalutaria omnibus, & in univerſum recta juſtaque putabat. Ipſi enim Ordines Belgij, ex quo de offenſo Regis animo quicquam inaudiverant, placandi ejus causâ Legatos miſerant, qui fœdera antiqua ſanctè ſe obſervaturos, & ſi contra illa quicquam admiſſum reperiretur, quod quidem, quale ſit, ignorent, ſatisfactionem & expiationem ſponderent; Quo quidem facto, armis locum non eſſe, non Chriſtiani modò, ſed & Gentiles cenſuerant. Regij tamen Miniſtri non niſi poſt bellum aliquamdiu geſtum pacificis locum Conſiliis futurum aſſerentes, iterùm ab Electore contenderunt, ut, ſi ſecum ſtare nollet, nec armis intereſſe velit.

Duxerat interim Rex Galliarum in Imperium, & Neüſſam, Dorſtenum, & alia ejus clauſtra præſidio, novisque munimentis firmare, atque in Epiſcopatu Leodienſi, Clivenſique Ducatu, & ita in Imperio priùs, quàm in Belgio belligerare cœpit; Ad ea igitur, quæ de medij Conditione propoſita erant, cùm jam dilucere, id quod erat, cœpit, & molimina Regis non ad Belgium tantùm, ſed ad Imperium quoque pertinere, apertum eſſet, clarè & perſpicuè atque non ſemel Gallis reſpondit Elector: nec juris nec poteſtatis

ſuæ

ſuæ eſſe, ut de iis, quæ Imperij Ordines concernerent omnes, ipſe ſolus quicquam vel ſtatueret vel paciſceretur: Omnia ad Imperatorem & Imperium rejiciens &c. Atq; hæc hactenus cum Gallis.

Eos verò qui rem ad Gallos trahebant, Conſilia cum illis conſociantes, ſæpe jam monuerat Elector, nec monere deſiſtebat, ne Exteros in Patriæ viſcera admitterent: Non fore illis omnia plana, nec vi ſibi viam in Imperium aperturos, à quo non laceſſiti erant, niſi ipſi illis eam ſternerent, & tuta & proclivia omnia redderent; ſi ulla pietas, ſi memoria antiquæ Patriæ, orabat, ut nihil contra decus Imperij, Pacem ac Salutem publicam cum Exteris paciſcerentur; ne Securitatem ejus alieni arbitrij facerent, aut Imperij finitima munimenta, flumina, pontes, hoc eſt Claves ejuſdem, in Potentis Æmuli non minus, ac vicini Regis manus traderent; Secus ſi fecerint, Ipſorum eſſe, damna luere, quæ vicinis, quæ Patriæ intulerint, & cùm luere non poſſint, æternam Poſteritatis fore querelam. Patria quid de vòbis meruerat, cui exitium paraſtis? Addebat, ſi qua Ipſis cum Belgis jurgia, componi ea poſſe, & de componendis, non ſine ſucceſſu, Imperatorem laborare: nollent igitur Urbis unius, aut vindictæ, incertum, an juſtæ? causâ Chriſtiani Orbis conflare Incendium.

Nihil hic proficitur; & dum hæc bene conſuluntur, alibi malè agitur. Veſalia, præcipua Cliviæ urbs non capta, ſed tradita & idem aliarum, uti Orſoy, Reſij, Burici &c. fuit factum. Putabant equidem Galli, ſuo ſe jure oppida iſta in poteſtatem ſuam redigere poſſe, quibus Belgicum præſidium ex pacto cum Electore erat; Verùm quòd nec hoſtem in pacato loco deprehenſum inde vi ejicere liceat, tralatitium eſt, & nobilis ille P. Scipionis atque Aſdrubalis, ſine dubio hoſtium, in pacato Syphacis Regno, non hoſtilis congreſſus, & in eodem lecto hoſpitalis utriusque accubitus teſtantur.

At nec Belgicus miles in Emmerico & Genneppio inveniebatur, ſed Electoralis: nihilominus tamen inde pauci illi à Gallicis Copiis proturbantur, quæ nullo jure capta, nullo jure habebantur. Arces, Turres, propugnacula, munimenta non à Bel-

gis, ſed à Cliviæ Ducibus, Avorum memoriâ, excitata, ſubvertuntur & ſolo æquantur, Uſurpantur omnia veri Domini Jura; Nihil non hoſtile facit miles, urbes populatur, agros urit, pecora diripit, ſegetes conculcat, tributa Provinciæ Domino debita, ſibi rapit, & de cætero pro Domino ſe gerit; Cives omnes Sereniſſimo Electori ſubditi ad juramentum Galliarum Regi præſtandum adiguntur.

Intelligebat quilibet, an hæc talia Galliarum, aut quivis alius Rex in ſuo Regno fieri permiſſurus eſſet, & quidni intelligeret igitur Auguſtiſſimus Imperator, quid Imperii Securitas, dignitas & Salus, tùm muneris ratio ab Ipſo hâs rerum facie requirerent. Opem præterea Ipſius ex fœderibus jam dudum initis implorat Elector, atque alibi de firmandis ſocietatibus, & inprimis de Ordinum Imperij auxilio ſollicitus.

Datâ deinde & acceptâ fide, & juxta illam juncto milite tendit, quo Pietas in Patriam, Amor erga Sibi à Deo commiſſum Populum vocabant.

Objiciuntur ſua petenti hoſtiles Exercitus, quaquaverſum incedentem comitantes & ſequentes, intenti in omnes caſus, qui ſecundi ipſis evenire poſſent, Globis Equitum in Electorales identidem immiſſis; Interim Cliviæ Incolis omni obſequio, quod Domino debebant ſuo interdicitur, &, ut nullum, niſi Regem Galliarum, agnoſcerent Dominum, injungitur.

Satis hinc elucere putamus, Eccui Garantia h.e. auxilia ex Inſtrumento Pacis debeantur, an Principi, quo nemo unquam meliore in Patriam fuit animo, tam indigna paſſo; an Regi, Imperij Clauſtris in hærenti, & alienas terras ſibi vindicanti?

Objiciunt autem Galli: Sereniſſimum Electorem ſecretam pro Hollandis foviſſe intentionem.

Quæ vota, quæ ſtudia Electoris fuerint, jam dictum! Conſervandæ nimirum Pacis, conciliandæ amicitiæ, & ſopiendarum diſſenſionum: Fœderatum autem Se Belgis eſſe, Elector nunquam non præ ſe tulit: quæ enim argutia, & quàm prudens ſecretum, celare velle, quæ in vulgus nota?

Sed

Sed hoſtibus Galliæ opem ferre ipſis Monaſterienſis Pacis legibus prohibitum.

Equidem cautum eſt illis, ne Imperium Romanum publico nomine accederet uni vel alteri Regi, qui tùm temporis, cùm Pax Weſtphalica confieret, bella gerebant: Anne verò Legem ſibi vel Ordinibus dixit, ne deinceps, ſi quisquam ex Regibus iſtis fœderatos Ipſorum invaderet, fœdera obſervaret? Quæ unquam Lex fieri aut fingi poteſt, quæ Jura Gentium, iisque, tùm ipſis Imperij Conſtitutionibus conſentanea fœdera tollat? Quæ lex ſanctiſſima vincula ſolveret, quæ conſervandæ Salutis publicæ, & humanæ Societatis Causâ, ipſa Natura, Gentium placita, & fides publica ſtrinxêre, & inviolabilia voluerunt? Nunc verò, poſtquàm Imperii munimentis Exteri in Imperij perniciem utuntur, Electori ſua eripere ſatagunt, an Lege publica impeditur Imperium, Imperio & Imperij Electori ſua vindicandi? Anne verò Legem ſibi dixit, negligere ſe velle in gratiam Galliæ omnia divina humanáque Jura?

Sponte autem ſuâ Urbes in Imperio occupatas Imperio ſe redditurum Rex Galliarum ſæpe promiſit.

Cur verò occupavit? Suadente videlicet Belli ratione; Quæ autem illa Ratio, quæ rationi repugnat? Quodnam Jus? Quæ ratio vicino Regi permiſit unquam, ita ſuis proſpicere rebus; ut vicinum violet? Ex incommodis alterius ſua comparare commoda, humani Generis Societatem non pati, imò hâc ratione interire illam, Gentes cenſuerunt; haud aliter ac Corpus interiturum eſſet, cujus unumquódque Membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet.

Sed quæ tandem Ratio ſuaſit, illa ut caperentur? Securitas, opinor. Quid ſi illa ipſa ſuaderet, ut retinerentur? fortè enim periculum erit, ut nec Imperator, nec Elector ita ſua cuſtodiat munimenta, ut Gallis ſecuris eſſe liceat. Hæc ſcilicet illa Ratio, quæ Imperatori, quæ Electori arma extorqueat.

Illud verò vix capi poteſt, qvomodo inter Cives concordia pare-

pareretur, his ſi eripiantur templa, quibus dudum uſi, & aliis tradantur, præcipuè ab iis, quibus nec in templa nec in Cives Juriſdictio eſt.

Jure, inquiunt, Rex uſus eſt, quo Belgæ ſunt uſi.

Nullum equidem Jus Belgis in Sacrâ illic locorum competiit nec competere ſibi illi unquam aſſeruerunt; Si quid in ejusmodi rebus vel contra Imperij leges, vel contra Provinciæ Jura in Urbibus iſtis admiſſum, ad illos hoc ſpectat, quibus de talibus cognitio: Nullum hìc Regi Galliarum arbitrium eſt, uti nec Belgarum fuit.

Miſeretur denique Germaniæ Dominus Plenipotentiarius, quod Cæſareus & Electoralis miles in ea licentius agat; Si tecta urerent, ſi prædas agerent, ſi ſegetes vaſtarent, quod Galli in Clivia fecerunt, vitiis certè cum illis certarent. Sed nemo iſta queritur, aut ſi quis quid queritur, ſeverè vindicatur. Is eſt Imperatoris animus in ſuos, ea Gubernatio, ut Patrocinium Orbis potius ſit, quàm Imperium. Quî ferat igitur Pater Patriæ in Imperio, quæ Galli in Clivia patrant?

Non perſequemur ſingula: Ecquis enim non animadvertit ipſe, quæ in ſcriptis iſtis ſatis pro Imperio dicantur, aut ſine fundamento jactentur: unicum ejus rei adhuc dabimus exemplum,

Sereniſſimum Electorem Suam Majeſtatem ad ſua arma in Imperio immittenda, omni viâ coëgiſſe, aſſerit Dominus Plenipotentiarius.

Atqui jam extremo veris Rex Cliviam invaſerat Imperij, Provinciam, cùm Elector tandem exitu æſtatis Berolino moverit, & ea, quæ ex vero jam diximus ante, docent, quis belli, quis Pacis autor fuerit? Quis clades has, malàque omnia accelerare, quis avertere omni animi contentione anniſus ſit?

Vos autem, Incltti Ordines, Exempla Imperii Veteris, Cuſtodes & Subſidia Patriæ, Judicate tandem, an is, qui ſe ac vitam ſuam, & omnia pro ſalute Imperij devovit, & arma induit, ut pro illa pugnet, qui Populum ſibi à Deo datum, ſuáque defendere, qui ab aris & focis ferrum flammámq; depellere nititur: Qui, cum alij vi & armis omnia agant, præſidio ſe munit, ut ſe & alios tueatur,

tur, an is demum, de excitato in Germania bello, de ruptis Pacis tabulis, accuſari poſſit? Si culpa eſſet, amare Patriam, ſatis pœnarum pertuliſſet, tot contumelijs, tot injurijs Exterorum impetitus, pulſus deniq; nobiliſſimi Ducatûs parte præcipuâ. Nunc verò, cùm pro Patria, pro omnibus laboret, nusquam nec ſibi, nec ſumptibus parcat, judicate, quid Fides iſta, quid ipſius tam ſanctus Patriæ amor mereatur, imò quid Patria requirat?

Cogitatis ſemper in tanta iſta Reip: tempeſtate de periculis ejus, cogitatis igitur ſine dubio pariter & de illis, qui iſtis ſeſe objiciunt, & quâ ratione tandem avertenda ea ſint. Nullos virtute & fide ante Germanos eſſe, majores cenſuerunt: Ex iſtis radicibus longè illuſtriſſimis & Vos ad gloriam, ac Patriæ tutelam, decus & dignitatem nati eſtis, & reſpondet tantæ fortunæ par virtus.

Sunt, qui ſuggerant, ſinguli ſibi, non Patriæ conſulant communi; Sed ita nec Vobis, nec Patriæ conſulitur: hâc ſalvâ, omnes ſalvi: hâc everſâ, nemo ſtare poteſt: dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur: Quidni vincantur, ſi ne pugnent quidem? Incendium qui ſuum tantum cavet, communi tandem, cui non occurrit, peribit. Sunt, qui Pacificationum ſtudia muniáq; Vobis commendent; ſed ut in ſtudia Vos ſcindant varia, & arma, quæ Patria poſtulat, è manibus Vobis excutiant, atq; à cordatis Conſiliis Vos ſejungant. Sunt, qui fœdera offerant ſuadeántque; ſed ut Imperium in partes dividant, & injectis his fœderum laqueis, ſanctiſſima illa vincula, quibus Patriæ Compages nectitur, diſſolvantur. Sunt, qui ad Belgium hanc rem tantùm ſpectare dicant, cui nihil cum Imperio negotii: Non agimus jam Belgarum cauſa[illegible]oc dicimus tantùm: Anne ea, quæ Reges Galliarum, aliósque Principes ſine dubio ſapientiſſimos moverunt olim, ut Conſiliis, pecuniâ, armis, Provincias fœderatas contra Hiſpaniam tuerentur; anne, inquam, eadem Germaniæ perſuadere debebant, ne Provinciæ iſtæ à Magno, & Potente Hoſte oppugnatæ penitus negligantur, & extra curam ſint? Si illæ acceſſiones fiant ad tantam Potentiam, quæ non aliæ ſecutura ſunt acceſſiones? Quæ Commerciorum in Europa ratio? Quæ conditio noſtra? Quæ Poſterorum futura?

 Agite

Agite igitur fortiſſimi PRINCIPES, ſapientiſſimi ORDINES, Spes Reliqua Patriæ, & IMPERATOREM veſtrum Auguſtiſſimum ſequimini, qui, arreptis armis, pro Securitate, pro Pace, tendit & excubat: Optimo præit exemplo Dux optimus, Sereniſſimum ELECTOREM Brandenburgicum Comitem habebitis fidiſſimum, præmium verò, quo nullum præſtantius, Pacem dico, honeſtam & ſecuram, quæ nunquam ab abjectis Animis, aut Hoſtium Conſiliis ſperari poteſt. Ita ſtatuere Prudentiæ; Ita agere Fortitudinis; Ita & ſtatuere & agere GERMANÆ VIRTUTIS.

Excellentiſſimorum, Reverendiſſimorum, Illuſtrium, Generoſorum, Magnificorum, Nobiliſſimorum, Ampliſſimorum, Spectabilium Dominorum Legatorum, Conſiliariorum & Deputatorum, Dominorum honoratiſſimorum.

Ratisbonæ d. 4. 14. Januarij, 1673.

Ad omnia Officia paratiſſimi

Curdt Aſchen Freyherr von Marenholtz.
Gott Fried von Jena.

Digitized by Google